

# The Electronic *Manipulus florum*

[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

## Caro siue corpus t cum fontibus primis

Attende, homo, quid fuisti ante ortum,  
et quid es ab ortu usque ad occasum,  
atque quid eris post hanc uitam.  
Profecto fuit quando non eras,  
postea de uili materia factus  
et in uilissimo panno inuolutus  
menstruali sanguine in utero materno  
fuisti nutritus; tunica tua fuit  
pellis secundina.  
Sic indutus et ornatus uenisti,  
nec memor es quam uilis sit origo tui.  
Forma, fauor populi, feruor iuuenilis,  
opesque subripiere tibi noscere quid sit homo.  
Nichil enim aliud est homo quam sperma fetidum,  
saccus stercorum, cibus uermium.  
Post hominem uermis,  
post uermen fetor et horror.  
Sic in non hominem uertitur omnis homo.

Attende, homo, quid fuisti ante ortum,  
et quid es ab ortu usque ad occasum,  
atque quid eris post hanc uitam.  
Profecto fuit quando non eras:  
postea de uili materia factus,  
et uilissimo panno inuolutus,  
menstruali sanguine in utero materno  
fuisti nutritus, et tunica tua fuit  
pellis [al. pellicia] secundina.  
Sic indutus et ornatus progressus es ad nos /  
Nec memor es quam sit uilis origo tui. /  
Forma, fauor populi, fervor iuuenilis,  
opesque / Subripiere tibi noscere quid sit homo.  
Nihil aliud est homo quam sperma fetidum,  
saccus stercorum, cibus uermium.  
Post hominem uermis,  
post uermen fetor et horror. /  
Sic in non hominem uertitur omnis homo.

Auctor incertus (Bernardus Claraeuallensis?),  
*Meditationes piissimae de cognitione humanae  
conditionis*, 3.8 (PL 184, col.490A-B).

Cum fex, cum limus, cum res uilissima simus.  
Vnde superbimus? Ad terram terra redimus.

Item et metrice quoque satis eleganter  
in hunc modum humana superbia suggillatur:  
“Cum faex, cum limus, cum res uilissima simus,  
Unde superbimus? ad terram terra redimus.”

Ibidem (Hugo de claustro anime libro I.  
capitulo I.).

Giraldus Cambrensis, *Speculum ecclesiae*, 4.17  
(J.S. Brewer ed., pp.297-8).